



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 4. Consilia mala Achitophelis, & Themistoclis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

§. IV.

Consilia mala Achitophelis, & Themistoclis.

Hoc ipsum non tacuerunt diuinæ litteræ, in quibus hoc traditur axioma: *Facienti* Eccli 27.
30. *nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet, unde adueniat illi.* Non agnouit Achitophel, unde veniret suum exitium, quod à Domino venit, & super ipsum deuolutum est. *Consilium autem Achitophel,* 1. Reg. 16.
23. *quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum David, & cum esset cum Absalom.* Quando igitur dixerunt *Absalom &* 2. Reg. 17.
14. *omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachite, consilio Achitophel: Domini nutu dissipatum est consiliū Achitophel utile (Absaloni, pessimum Dauidi, & coram Deo) ut induceret Dominus super Absalom malum.* Itaque *Achitophel videns, quod non fuisset factum consiliū suum, stravit asinum suum, surrexitq;, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam: & deposita domo sua, suspendio interijt.* Quapropter nequissimum consilium, super ipsum deuolutum est. Nequissimum autem meritò potest appellari; quia licet Absaloni utile fuisset, tamen absolutè fuit malum, immò pessimum, tum quia contra diuina

diuinum præceptum, quo iubentur filij parentes honorare; tum quia ei ipsi in capite est deuolutum, à quo est profectum. Igitur Achitophel, dum voluit Absaloni consulerè bene, sibi consuluit malè. Quo loco etiam atque etiam mihi monendi sunt Principum Regumque consiliarij, ne se ipsos fallant, dum existimant nihil sibi à Deo metuendum, dummodo Principibus Regibusque suis vtilia, & sisco profutura suadeant, siue fas sit, siue nefas, quod suadent. Possunt enim etiam vtilia consilia esse inhonesta; & hinc mala, atque tandem super ipsos consiliarios deuoluenda. Primùm ergo videndum est in consilijs, an nō Deum offendant; deinde num dominis profint? Perniciosa fidelitas est, quæ supremum iudicem habet aduersantem. Quid miserius est, quàm cum proprio exitio alijs prodesse? Eat aliquis adulator, qui vt domino suo placeat, suadeat noua onera, suggerat inauditas artes opum augendarum, cum manifesta iniuria damnoq; subditorum, *conuertetur dolor eius, in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Ob hanc meritissimam vindictam, ait regius Propheta: *Confitebor Domino secundum iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi.*

Psal. 7. 17.

Ibid. 18.

conuertetur dolor eius, in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Ob hanc meritissimam vindictam, ait regius Propheta: *Confitebor Domino secundum iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi.*

altissimi; neque consilium malum dabo, neque probabo ab alijs datum. Themistocles in concione dixit, se reperisse consiliū, quod summopere pertineret ad dignitatem Atheniensium: sed id eius esse generis, vt proferri non expediret; cū nulla consilia meliora sint, quā illa quæ ignorauerit aduersarius antè, quā facias; quæ si eis prodantur, in propriam perniciem sint reditura. His auditis populus censuit, vt consilium vni Aristidi indicaret: si is probaret, probaturos omnes. Cū igitur Themistocles indicasset Aristidi, se de incendenda Græcorū nauali statione cogitare (sic enim fore, vt Athenienses toti Græciæ dominarentur) Aristides ad populum progrediens, dixit Themistoclis consilio nihil esse vtilius, sed eodem nihil inhonestius. Qua audita voce populus vetuit, ne super ea re in posterum verba faceret Themistocles. *Hic certè populus quiddam Philosophicum præstitit, ait Plutarchus, repudians utilitatem cum turpitudine coniunctam; immò præstitit quiddam Christianum.* Apud nos enim nihil vtile est, nisi honestum; cū sciamus, inhonestis consilijs diuinam iram imminere, quæ & dantes plectit, & male vsurpantes. Vt enim, qui

Plutarch.
 in Aristi-
 de.

qui in cælum expuit, sputo suo foedatur, ita
 qui contra Deum consulit, malum sentiet,
 & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

S. V.

Eutropij lex Eutropio perniciosâ.

Iob. 12
 16.

Verè alius dixit: *Apud ipsum est fortitudo
 & sapientia: ipse nouit & decipientem, & eum,
 qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum
 finem, & iudices in stuporem; vt, dum stultè
 consulunt, suismet consilijs irretiantur; ac
 dum stupidè iudicant, ore suo iudicentur,
 sententiaque propria damnentur; & legem,
 quam in alios tulerunt, ipsi patiantur. Quo
 pacto Eutropius Eunuchus, dum studeret in
 quosdam, qui ad templum confugerant,
 animadertere, persuasit Imperatori, vt fer-
 retur lex, qua templi religio nulli prodesset
 nocenti. Lata lege factum est, vt Eutropius
 cum offendisset Cæsarem irritata Augusta
 Imperatrice, confugeret sub altare, vnde
 deprotractus capite plexus est, suo ipsius
 consilio perditus. Quam historiam non so-
 lum tradidit Socrates in historia tripartita,
 sed etiam Nicephorus his verbis: *Eutro-
 pius Eunuchorū in Imperiali cubiculo princeps,
 qui ad Consularem dignitatem peruenerat,
 & pater Imperatoris vocatus fuerat, neq; pra-
 sentis**

Niceph.
 Callist.
 l. 3. hist.
 Eccl. c. 4.